CONSUETUDINES CLUNIACENSES ET HIRSAUGIENSES

1. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26324
Copyright: Admont, Benediktinerstift

accedentes stant per ordinem inclinati adiuncto magistro usque dum omnes transierint.
Quando autem sunt pransuri ante conventum exeunt de ecclesia et lotis manibus ad lavatorium
suum pergunt ad coquinam ut singuli fabas suas apportent. Ad generale quoque apportan
dum et ad pulmentum tot surgunt quot opus fuerit et ille voluerit qui in loco cellerarii
eis servit. Hoc etiam eis est observandum ut pulsationem scille sue ita communi fratrum
pulsationi coequent ut non prius incipiant sed tamen citius finiant. Ante refectio
nem autem unus eorum librum accipit et tamdiu legit quousque eum magister eorum presidens ad scil
lam cessare iubet. Qui cum ceteris manducans iuxta finem refectionis iterum sur
git et parum legit et cum ille autem lectionem finit. His autem aliisque modis prout possunt
tam imitantur disciplinam quam nos in refectorio habemus. Sed et hoc est eis sciendum
quod post refectionem ibi in cella debent finire absque psalmo versum sic ut primum
ad locum inclinationis veniant quam conventus de refectorio transeat. Qui videlicet
locus est ante refectorium ubi post singulas refectiones debent inclinati sta
re et ordinati ab ostio refectorii usque ad gradum dormitorii conventu de re
fectorio exeunte similiterque ante eos inclinatione transeunte. Quem et ipsi
subsecuntur simul cantantes psalmum quem prius pretermiserunt. Quocumque autem habent
partem ire magister eos debet precedere et cum inclinantibus ubique partem inclina
re. Si quis eorum de ecclesia ad cellam ipso eorum ire voluerit non presumit nisi vel uno socio secum
assumpto et si nox est non sine lumine. Ad collationem fratrum conveniunt. Inde sur
gente conventu ipsi inclines stant in eodem loco ubi sederunt usque dum omnes pertranseant.
Quando alii ad mandatum vel infra collationem bibunt ipsi in cellam suam
divertentes idem faciunt. Sane sicut sunt novissime ecclesiam intraturi sic quoque post
aspersionem aque benedicte novissimi sunt exituri. Quanto tempore sunt spoliati ca
pitiis non ponunt absconsa coram eis sicut nec in illis duabus noctibus post novitiam accep
tam benedictionem. Numquam ad nocturnos neque de completorio si opus fuerit sine lumi
ne licet eis exire sed unus qui vicinior eos prior esse videtur cum laterna ceteros antecedit. Dominicis
diebus aliis ad processionem exeuntibus ipsi in exitu ecclesie intra ipsam ecclesiam ordi
nati stant inclines donec pertranseant fratres. Interim dum sunt sine capitiis possunt
albis vel cappis licenter indui sicut et alii. Cuilibet processioni que extra monaste
rium non agitur intersunt sed ultimi precedente magistro eorum et ad stationem que in
vestibulo agenda est ipsi retro post seniores quasi lineam facientes subsistunt.

De iterata benedictione noviciorum. XLII

FINITIS autem predictis diebus cum iam
monastice vite benedictionem sunt accepturi post portem missam non ad capitulum
fratrum sed in cellam suam cum magistro conveniunt ibique interim expectant do
nec eodem magistro in conventum regresso et capitulo aliquantulum peracto domnus